

tempore suo, & solium eius non defluet, & omnia quacumque faciet, prosperabuntur. Unde tanta cumlata felicitas; ab oblatione legis Dei. Cassiod. lib. 9. variar. cap. 25. ait: Hinc, scilicet à lege Dei: virtutum omnium sumitur manifestat cogitatio: hinc sapientia veritatis sapore conditur, sic ad omnia redditur humilis, quem imbuat doctrina celestis.



CAPUT XXVI.

I. T factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: 2. Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caïphas: 4. & consilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent, & occiderent. 5. Dicebant autem: Non in festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis Leprosi. 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. 8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio hæc? 9. Potuit enim istud vāundari multo, & dari pauperibus. 10. Sciens autem Iesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. 11. Nam semper pauperes habebis vobiscum: me autem non semper habebis. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius. 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes Sacerdotum. 15. Et ait illis, Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum traderet. 17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? 18. At Iesus dixit, ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus: & paraverunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde cœperunt singuli dicere. Nunquid ego sum, Domine? 23. At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 14. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi: per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbis? Ait illi: Tu dixisti. 26. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum, in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. 31. Tunc dicit illis Iesus omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista, scriptum est enim, percutiam pastorem & dispergentur oves gregis. 32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. 34. Ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus, etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem: 37. & assumpto Petro, duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mœstus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum. 39. & progressus pusillum procidit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 40. Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro sic, Non potuistis una hora vigilare mecum? 41. Vigilate.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 42. Iterum secundo abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum, & invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravari. 44. Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio, eundem sermonem dicens. 45. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: dormite jam, & requiescite, ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui turba multa cum gladiis & fustibus, missi à principibus Sacerdotum, & senioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Ave Rabb. Et osculatus est eum. 50. Dixit que illi Iesus: Amice ad quid venisti: Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. 51. Et ecce unus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum, & percuciens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam eius. 52. Tunc ait illi Iesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis. 56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57. At illi tenentes Iesum, duxerunt ad Caïpham principem sacerdotum, ubi Scribæ, & seniores convenerant. 58. Petrus autem sequebatur eum à longe usque in atrium principis Sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, ut videret finem. 59. Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent. 60. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes. 61. Et dixerunt: Hic dicit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reedificare illud. 62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? 63. Iesus autem tacebat: & princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. 64. Dicit illi Iesus: Tu dixisti, veruntamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. 65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. 66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67. Tunc exspuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt. 68. Dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? 69. Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum una ancilla, dicens, & tu cum Iesu Galilæo eras. 70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. 71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla: & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Iesu Nazareno. 72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. 73. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit? 74. Tunc cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. 75. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

ARGUMENTUM CUM Remissionibus.

Primò, Vers. 1. Ponitur conspiratio sacerdotum cum Iuda adversus Christum D. explicavi tom. 3. lib. 7. c. 2.

Secundo, V. 6. Unctio facta à Magdalena in Bethania. Explicavi tom. 5. lib. 7. cap. 1.

Tertiò, V. 14. Pactum, ac venditio Iudæ cum Iudæis circa personam Christi. Expendi tom. 5. lib. 7. cap. 3.

Quartò, V. 17. Accesserunt discipuli ad Iesum ad præparandum cœnaculum: Expendi tom. 5. lib. 7. cap. 4.

Quintò, V. 21. Prædicatur proditor Iudas tom. 5. lib. 7. cap. 6.

Sextò, V. 26. Instituitur à Christo D. Sacramentum Eucharistiæ Sacramentum X 4

